

vel in aliis locis civitatis Tergesti proicere, sub pena centum sold. par. Nec etiam tenere aliqua[m] vinatiam lectamen vel alias inmunditias ante domum habitationis eiusdem in civitate Tergesti in viis predictis, sub pena viginti sold. par. pro qua-
5 libet persona contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et si qua persona proicerit de alto aliquas aquas inmundas vel alias inmunditias super aliquam personam de die vel de nocte in civitate Tergesti, cadat ad penam decem libr. par. pro quolibet contrafatiente et qualibet vice contrafacta, et adhibeatur
10 fides cum sacramento accepto illi super quem aqua proiecta fuerit vel alie inmunditie, et habeat medietatem condemnationis facte ex sua acusa. ¶ Et nulla persona sit ausa lavare aliquas pecias seu pannos erbas vegetes urnam filum, curare pisces, vel aliquas alias res inmundas facere ad aliquem puteum sive pe- // nes aliquem puteum vel fontes usuales, tam 166 A
15 in civitate Tergesti quam extra, nec etiam in lapide qui est penes puteum maris in capite platee comunis, et si qua persona contrafecerit cadat ad penam centum sold. par. pro quolibet vice contrafacta, et quilibet possit acusare, et credatur et
20 stetur sacramento acusatoris acusantis de aqua inmundata vel munda vel aliis inmunditiis, et habeat tertiam partem condemnationu[m] factarum occasione suarum acusionum. Nec aliqua persona audeat tenere aliqua cabiculla¹⁾ vel urnas tempore vindemiarum penes aliquem fontem vel puteum (tenere)
25 causa accipiendi aquam, sub pena quadraginta sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Et nemo cennum bestiarum sive scopaturas sit ausus proicere in viis publicis, sub pena centum sold. par. pro quolibet et qualibet vice contrafacta. ¶ Et quod milites domini potestatis teneantur etiam
30 perquirere de predictis sacramento et contrafatientes acusare, et adhibeatur eisdem vel alteri ipsorum fides cum sacramento, et habeat medietatem condemnationum factarum occasione suarum acusionum.

¹⁾ *cabuulla*. Stat. 1365: *cabiculla*.